DE DYSENTERIA DISSERTATIO INAUGURLIS QUAM AD MEDICINAE...

Francesco Lancini

DE DYSENTERIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

PUBLICE DEFENDIT

FRANCISCUS LANCINI

BASSANENSIS

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

MDCCCXLVII

I.

Dysenteria est morbus peculiaris, plerumque febrilis, qui intestina, maxime crassa, aggreditur; saevit praecipue tempore aestivo, et aliquando autumnali, atque manifestatur cum torminibus plus minusve intensis, diro tenesmo et continuo nisu alvum deponendi saepe saepius inani, et si aliqua evacuatio locum habet, non faecum, sed materiae mucosae, puriformis, plus minusve cruentae. Hippocrates, Areteus jam de hocce morbo locuti sunt; sed subinde rectius Zimmermann, Hoffmanus, Vogel, Stohl, Frank, Burserius aliique sermonem habuerunt.

Quoad ejus evolutionis modum morbus istiusmodi est frequenter *sporadicus*, quamvis et *epidemicus* esse potest praesertim in Indiis et Africa, ubi tot millia hominum occidit. Non eadem semper symptomata praesefert; hinc quoad naturam dysenteria distinguitur in *sthenicam* et *asthenicam*, dum a calore et qualitate materiae per alvum excretae eruitur divisio in *albam*, aut in *rubram*, vel *cruentam*, in *serosam* et *mucosam*, in *biliosam*, in *verminosam* etc. Interdum

acutum, alias *chronicum* decursum, interdum typum *continuum*, alias *intermittentem* dysenteria habet, interdum *simplicem* constituit adfectionem, alias *complicatam* cum helminthiasi, cum saburris diversis, cum phlogosibus alicujus visceris abdominis, aliorumque cavitatum. Profluvium hocce ab aliis morbis analogis, a diarrhoea nempe et haemorrhoidibus, per symptomata pathognomonica, quae nunc enarrare suscipimus, discriminatur.

II.

In dysenteria epidemica, et plerumque etiam in sporadica, invasio febrilis cum horripilationibus, saepe saepius cum frigore sat notabili, quod sequitur calor, prima aperit scenam. Uno et eodem tempore adnotantur anorexia, polydipsia, oris amarities, nausea, vomituritio, ponderis ad ventriculum ingrata sensatio, summa virium lassitudo, et dolores intensi in toto abdominis ambitu, alvus fere diarrhoica movetur, ita ut ab initio dysenteria cum diarrhoea facili negotio confundatur; sed apud nonnullos exordiente morbo alvus obstipata evadit, non deficit dolor capitis, cutis summa sensibilitas, et dolores per articulationes vagantes. Symptomata haecce prodroma per duas aut tres dies, aliquandiu per unam alteramve hebdomadam protrahi possunt, et tunc quamvis conditionem tubi gastro-enterici a norma deflectentem denotent, nihilominus veram ex hisce, nisi aliqua epidemia per populos grassetur, dysenteriam designare va-

lent. In dysenteria sporadica non raro symptomata prodroma haud observantur, vel per brevissimum tempus; homines in hocce stadio se sanos esse credunt, et rarissime auxilium medicum exposcunt.

Morbo jam evoluto, et in secundum ingresso stadium, tormina saevissima et scindentia in regione umbilicali fiunt, aliquando per totum protenduntur abdomen, et ad ipsam regionem lumbarem atque sacralem. Quandoque tormina hujusmodi fere continua sunt, saepe remittunt, subinde intensiora redeunt, ita ut aegri ejulent, conclament, corpus huc illuc per lectum flectant, vultum mirum in modum torquendo, et a vera enteritide aut colica intestinali detineri videantur. Insuper calor ad anum et dirissimus tenesmus habentur cum molesto et frequenti nisu alvum evacuandi, sub quo interdum rectum intestinum protulit et intercludi minitatur, nisi ab experto medico facta sit repositio. Interdum inanis evadit quaecumque faeces eliminandi conatus, alias jungitur cum evacuatione liquidi mucosi valde tenuis seri naturam simulantis (dysenteria serosa), dum alias est mucus valde spissus (dysenteria mucosa), et aliquando vermes insimul copiosi emittuntur (dysenteria verminosa), alias materies evacuata bilis characteres refert (dysenteria biliosa), nonnumquam est albescens, mucosa, puriformis, specifico fere odore foetens (dysenteria alba), frequentissime est mucus sanguine commixtus, vel striae sanguineae, aut sanguis purus coagulatus, corruptus, foetidus exprimitur (dysenteria sanguinea). Subinde evacuantur quoque excrementa muco, sanie,

atque sanguine obducta. Nonnulla quoque phaenomena consensualia observantur, uti dysuria, atque stranguria, et ipsa nonnumquam ischuria; et si fit frequens mingendi desiderium ardor ad genitalia advertitur, et in nonnullis aestus venereus adauctus. Stadium hocce a septem ad quatuordecim ut plurimum perdurat dies.

Sub felici eventu stadium decrementi perinde sequitur una cum omnium symptomatum tum generalium, tum localium imminutione, atque tandem inter septem, aut decem, quatuordecim ad summum dies, cessatione. Sensim sensimque redit adpetitus, et cum hoc virium vitalium instauratio, et vultus hilaritas, effugiunt omnes molestae ventris sensationes, faecum excretio pedetentim normalis fit, uno verbo stadium convalescentiae et exoptatae valetudinis sat firmae signa comparent.

Sed non semper dysenteria tam simplicem tenet decursum, quandoque cum aliqua topica alicujus visceris phlogosi, vel cum aliquo exanthemate complicatur. Febris ipsa, qua fere semper concomitatur, diversum inducere potest characterem dynamicum, et nunc penitus mitis, nunc intensior evadit, nunc naturam ex integro inflammatoriam ostendit, nunc inflammatorio-rheumaticam propter dolores lancinantes, qui vagantur per lumbos atque per extremitates tum superiorum, tum inferiorum artuum, unde Stohlius hanc dysenteriae speciem vocavit rheumaticam, dum e contra symptomatibus inflammationis mucosarum, coryzae, bronchitidis etc. stipatur, unde Galli

nunc considerant dysenteriam uti catarrhum intestinalem.

Etsi fere semper febris in dysenteria naturam habeat irritativo-phlogisticam, id quod elucet a symptomatum adparatu, et a notione causarum tum disponentium, tum occasionalium, attamen febris istiusmodi in casibus quam pluribus vel illico ab exordio morbi, vel sub ejus decursu characterem assumit nervosum typhoideum, ac tunc advocatur *dysenteria septica, nervosa, typhosa.* In hisce summa est virium prostratio, pulsus debiles, irregulares, parvi, cutis calor mordax, facies collapsa, oculi languentes, dentes fuliginosi nigricantes, venter meteoristicus; praeterea adsunt frigus extremitatum, delirium, subdelirium, sudores profusi minime levantes et non infrequenter exanthema miliare, peticulae, decubitus gangraenosi, et sic porro.

III.

Inter causas dysenteriam excitantes recensentur prae primis fructus immaturi, ovulis insectorum inquinati, magna quantitate ingesti, omnes substantiae acres deglutitae, frigus externum, vel potus frigidi praecipue in aestiva tempestate abusus. Sub hisce cutis functio laeditur, turbatur subinde illa intestinorum et hepatis, atque dysenteria locum habet; quae producitur etiam per evacuationes suppressas, per exanthemata retropulsa, et indirecte per omnes illas causas, quae bilis secretionem promovent et adaugent,

uti essent animi pathemata et ira vehemens prae aliis, vini alcoholisque abusus, nimii labores, refrigeria corpori aestuanti repentine admota.

Relate ad causam proximam, nonnulli hanc repetunt a fluidorum in tubo cibario aut in visceribus hypochondriorum secretorum et potissimum bilis alteratione; ast haec prava fluidorum conditio uti effectus potius quam vera causa consideranda venit. Sunt alii qui dysenteriam a peculiari contagio pendere existimant ex eo quod haecce frequentior esse consuevit in castris, exercitibus, in locis obsidione cinctis, carceribus, ergastulis, apud plebem, in locis augustis, impuris, et caetera. Sed sub hisce circumstantiis longe aliae potentiae nocentes ad dysenteriam ingenerandam praecipuum exercent influxum; ex alia parte haecce huc illuc sporadica evolvitur quia in alios eisdem causis diu expositos transeat; praeterea medendi methodus felici eventu fere semper coronato contagii ideam excludere quoque valet.

Si nos tamen cum recentioribus omnia dysenteriae symptomata, et causas ipsas provocantes, rite perpendimus, in eam libenter inducimur opinionem, causam proximam conditionem pathologicam hujusce esse inflammationem, cujus signa interdum superficialis et erysipelaceae, alias phlegmonosae, sub cadaverum investigationibus luculenter patent. Ad nostram firmandam opinionem pauca sufficiant celeb. P. Frank verba: " Raro ulcus, quod veteres huic morbo accusarunt; interdum tamen subinde nascitur. Per dies novemdecim hoc morbo aegrotaverat mulier tres ante

annos in vindobonensi nosocomio defuncta. In recto intestino non minus ac colo sinistro atque transverso inflammationis comparebant vestigia, atque vera hinc inde exulceratio. „

IV.

Dysenteria exitus rarius habere potest. Aliquando dum mitis evadit blandis medicaminibus antiphlogisticis potubusque emollientibus atque refrigerantibus cedit; alias etiam per solas naturae vires sanatur, et huc illuc evacuationes criticae manifestantur, uti haemorrhagia intestinalis, in pueris epistaxis, erysipelas, foruncalorum eruptio, sudores profusi etc. In alios quoque morbos abit, et in India atque Africa epidemice debacchans, febris nervosa aut nervoso-typhoidea contingit sub dysenteriae decursu: interdum, silentibus ipsius symptomatibus, diarrhoea chronica, lienteria, fluxus hepaticus, tumores haemorroidales, febris hectica ab ulcerum praesentia sustenta succedunt. Denique transit in mortem per intestinorum exulcerationes, gangraenam, coarctationes, indurationes, per tabem intestinalem, per pessimum febris characterem atque alia ejusdem generis.

V.

Dysenteriae prognosis ex quam pluribus momentis, ex aegri nempe aetate atque conditione, ex symptomatum qualitate ac vi, ex noto charactere epidemico, ex causis procatarcticis, et ex febris indole jure

meritoque eruenda venit. Generatim loquendo dysenteria magis periculosa evadit in infanti tenello, aut in sene longis ab annis consumpto, in pubertatis periodo, in gravidis, in puerperis, et in omnibus individuis cachecticis, valetudinariis, a morbis chronicis enervatis etc. Morbus per ingesta venenata productus gravi stipatur aegrotantis discrimine; et lethalior frequentius ille qui sub prima alicujus epidemiae invasione quam plurima adoritur individua. Paucissima pariter hinc inde vitam lente recuperant ex his, quae dysenteria febri nervosa nervoso-typhosa pestilentiali consociata laborant. Sunt tamen casus nonnulli, in quibus haecce mitem offert symptomatum adparatum, sed minime fidendum; insidiose enim aegrotos blandit et ex tempore funesta struit pericula: quare prognosis etiam in hisce sit semper reservata aut penitus tristis. Si profluvium dysentericum intensum tenet inflammatorium characterem atque decursum, tunc exitiale esse potest, proximius enim enteritidi accedit, ejusque graves exitus minitatur. Attamen aegritudo istiusmodi facili negotio recta medendi methodo sanari potest, praecipue si miti charactere inflammatorio insignitur, vel si febris alicujus intermittentis sistit symptoma, et uno verbo levioribus phaenomenis manifestatur atque incedit. Praeterea bonum erit si evacuationes criticae contigerint, uti epistaxis in infantibus, protorrhagia in hypochondriacis, catamenia in foeminis, faeces copiosiores pultaceae et cum dolorum ac tenesmi moderamine, et rarius depositae urinae sedimentosae.

VII.

Ex diversa causarum dysenteriam provocantium indole, ex diversa ipsius natura, gradu, complicationibus atque aliis cura huic morbo individuali accommodanda desumitur. Nulla dantur remedia vere specifica antidysenterica, et hanc veritatem illustrando sequentibus P. Frank se exprimit verbis: " Insano quidem nisu vulgus in sistendo hoc profluvio vix non unicam ponit operam ac insignem *antidysentericorum* adstringentium scilicet stipticorum opiatorum consulit catalogum. Sed qui hos agyrtarum vetulorumque errores correcturi, ex vana hypothesi, ubique bilem rancidam rodentem saburrasque olent, ac in his per repetita emetica et per evacuantia alvum remedia eliminandis dies noctesque terunt, non minores hi generi humano strages parant ".

Prae primis vero attentio nostra dirigenda est ad statum dynamicum organicum totius corporis et praesertim tubi intestinalis et systematis circulatorii. Semper ab initio status adest irritativus phlogisticus aut subphlogisticus qui interdum tam mitis evadit, ut nec diri dolores, nec molestus tenesmus, nec gravis febris, nec evacuationes frequentiores et profusae animadvertantur; tunc si patefiunt signa alicujus saburrae sursum vergentis, illa evacuari debet ope emeticorum et purgantium pro re nata adhibitorum, et modo tartarus stibiatus, modo ipecacuanha, modo pulpa cassiae et tamarindorum, vel decoctum fructuum eorumdem, modo oleum ricini, modo manna, et omnia

comparent; si dolor intestinorum atrox et tenesmus vehemens et continuus hominem aegrotantem divexent, tunc inquit praeclarus dux noster P. Frank, facta et repetita venaesectio adeo primis morbis temporibus ac methodus debilitans praestantissimum et unicum subsidium; neglecta vero (venae sectio) in primis diebus, ubi stiptica opiata vel alia remedia excitantia propinantur, dirae hominem enteritidis praedam constituet. In infantibus pro venae sectione hirudines ab una ad decem circiter circa anum admoventur, et in adultis viginti, triginta et ultra, praesertim si, fracto febris impetu, dolores et tenesmus saevissimi vigere continuant, alias jam tenesmo imminuto dolores instant in abdominis aliqua regione et tunc ipsi hirudines adplicantur.

Praeterea emetica dosi refracta et blanda purgantia sunt praestanda, ex eo quod, monente semper eodem auctore emesis diaphoresim saepe movet, evacuantia vero alvum remedia vires superabundantes aegrorum fluidorum blanda cum subtractione infringunt et opem ex hisce ferre visa sunt. Denique adhibentur decocta emollientia, potus oleosi, mucilaginosi, et sub aestiva tempestate quandoque aciduli refrigerantes prosunt: cataplasmata pariter emollientia abdomini imponuntur et clysmata ejusdem naturae emollientis libenter ordinantur.

Occurrunt saepe saepius casus in praxi dysenteriae asthenicae, adynamicae, nervosae, typhosae, qui exordiente morbo characterem revelant inflammatorium; sed breviter vel ab individui constitutione, vel

propter peculiarem genium epidemicum vel influxu nonnullarum potentiarum nocentium adventante, nervosum inducunt, et tunc cura antiphlogistica potissimum energica aeger paucas intra dies e medio tollitur. Quandoque status istiusmodi levior est, et ad hunc fugandum sufficiunt propitia fomenta externa, potus diaphoretici leniter aromatici, emetica dosi refracta porrecta, et ipecacuanha ita ut a Pisone vocata fuerit *radix antidysenterica*, quaeque virtus quoque comprobata fuit ab Hervetio, a Geoffroy, a Tommasini, qui hanc convenire putant in quocumque dysenteriae stadio etiam inflammatorio, ex eo quod juxta illos virtute pollet deprimenti, debilitanti. Alii laudant calomelanum, Huffeland nucem vomicam et Richter extractum hyosciami proponit, qui vero saevientibus doloribus et tenesmo valdopere proficere videtur.

Magnas laudes sibi quoque promeruit opium; sed oportet ut inflammatio haud amplius flagret, signa absint alicujus saburrae, et dysenteria a venenis ingestis minime sustineatur. Aptis sub indicationibus praestantissimum sistit remedium vel solum vel cum ipecacuanha nuptum tam celebratas pulveres Doowери efformando; vel calomelano junctum post sanguinis evacuationes non parum juvat. Febri nervosa ingravescente praeparata opii quoque adhibentur quae inter eminet laudanum liquidum Sydenham; adhibentur radix et flores arnicae, radix serpentariae virginianae, polygalae senegae, valerianae, cortex chinae ejusque praeparata, camphora, moschus, castoreum, cortex cinnamomi, murias ammonii et ammonium

ipsum atque alia, et denique, morbo magis magisque premente, rubefacientia, vesicantia et in regione sacrali et perineali cataplasmata emollientia narcoticis copulata, uti essent illa foliorum hyosciami, cicutae capitumque papaveris.

THESES DEFENDENDAE

1. *Impossibile est in hodiernae pathologiae statu exacte statuere morborum cerebri sedem in una aliave hujus organi parte; nec forsan sperare licet id unquam fore.*
2. *Organorum sensibilitas non solum cum nervorum sed quam maxime cum vasorum copia in relatione versatur.*
3. *Quidquid in vita per solum chemismum explicatur falsum.*
4. *Dysenteriam absque phlogistico intestinorum processu dari posse contendimus.*
5. *Rabies in canibus ex veneris voluptate incitatae atque denegatae plerumque dependet.*
6. *Physiognomia morbosa semeioticum criterium optime sistit.*
7. *Ophthalmiatria totius medicinae flos est, ex quo uberrimi fructus in pathologiam totam redundant.*
8. *Respirationis processus summus fons caloris animalis considerandus.*
9. *Vitia cordis organica stethoscopio solum bene dignoscenda.*
10. *Dynamica non sola actione ex venenis mors succedit in homine.*